



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus II. Argumentum. Patrono egeno debentur alimenta non deductis necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de aliis beneficiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)



Judicis; maximè cum Ecclesia, concurrentibus dictis requisitis, non solum sit obligata præstare Alimenta Patrono obligatione naturali Antidotali, sed etiam obligatione ex Canone. *Roland. conf. 5. num. 11. tom. 3. Vivian. de Jurepatr. lib. 1. cap. 2. num. 20. Rot. coram Pen. decis. 591. num. 7. & decis. 660. num. 2. & decis. 691. num. primo, & coram Cavaler. decis. 321. num. 3.*

- 4 Et quidem, concurrentibus præfatis requisitis, Ecclesia tenetur præstare Alimenta Patrono in Domo propria ejusdem Patroni, ut nos docent *Butr. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 24. ibique Barbof. num. 7. Surd. de Aliment. tit. 4. quest. 14. num. 21.*

### ARGUMENTUM.

Patrono Egeno debentur Alimenta, non deductis necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de aliis Beneficiis.

### SUMMARIUM.

- 1 Alimenta an debeantur Patrono Egeno, deductis prius necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere? & num. 3.
- 2 Clericus non tenetur militare propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere.
- 4 Reditus Ecclesie superflui dispensandi sunt Pauperibus.

### CASUS II.

Quidam Patronus cum redactus fuisset ad inopiam; non obstante, quòd detractis omnibus necessariis tam pro Ecclesia Patronali, quam pro victu ejus Rectoris, nihil de fructibus dictæ Ecclesie superesset; adhuc tamen petiit Alimenta ab Ecclesia eo sub motivo, quòd non debebant detrahi necessaria pro victu Rectoris à dicta Ecclesia; eo quia ipse habebat aliunde vivere; unde quaeritur: An Patrono Egeno debeantur Alimenta, deductis prius necessariis pro victu Rectoris Ecclesie Patronalis, quando iste habet aliunde vivere?

- 1 In hac quaestione procedendum est cum distinctione. Aut Rector Ecclesie Patronalis habet aliunde vivere præcisè de bonis Patrimonialibus, & tunc non debentur Alimenta Patrono Egeno, nisi prius deductis necessariis pro victu Rectoris, quia cum Clericus sit Miles Dei, non tenetur militare de suo Patrimonio, & propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere, juxta *Abb. in Can. Episcop. de Præben. & Dignit. & Text. in cap. Charitatem 12. quest. 2. ibi.* Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodarunt obsequium. *Fagnan. in cap. Si quis sanè de Pecul. Cleric. num. 6.*

- 3 Aut Rector habet aliunde vivere de aliis Beneficiis, & in hoc casu debent præstari Alimenta Patrono, non deductis ab Ecclesia Patronali necessariis pro victu Rectoris. Ratio est, quia cum de aliis bonis Ecclesiasticis Rector habeat victum, fructus Ecclesie Patronalis non sunt necessarii pro ejus sustentatione; adeoque dandi sunt pro alimentis Patrono Egeno,
- 4 cum reditus Ecclesie superflui, & superfluentes dispensandi sint Pauperibus juxta *Text. in cap. Quoniam 16. quest. 1. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quest. 3. art. 4. Ventrigl. in prax. de Jurepatr. annot. 1. §. 4. num. 35.*

### ARGUMENTUM.

An Patrono extraneo debeantur Alimenta in casu inopie: & quid si Patronus sit Persona ficta, nempe Communitas, aut Collegium?

### SUMMARIUM.

- 1 Jus Alimentorum est onerosum Ecclesie.
- 2 Donatarius tenetur alere Donantem, & non hujus heredem extraneum.
- 3 Benefacienti benefacere debemus.
- 4 Jus Alimentorum est personalissimum.
- 5 Alimenta in casu inopie debentur Patrono extraneo; num. 11.
- 6 Communitas an sit capax Alimentorum?